AUGUSTINUS

Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 103r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Accipite spiritum sanctum. Insufflando significauit spiritum sanctum non patris solius esse spiritum, sed
et sui. Quorum remiseritis inquit peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis
retenta sunt. Ecclesiae caritas que per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum
suorum peccata dimittit, eorum autem qui non sunt participes tenet. Ideo postea quam dixit
accipite spiritum sanctum, hoc continuo subiecit de peccatorum remissione ac deten
tione. Thomas autem unus ex duodecim qui dicitur didimus, non erat cum eis quando uenit 4
ihesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Uidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in
manibus eius figuram clauorum, et mittam digitum meum in locum clauorum, et mittam
manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius 5
intus, et thomas cum eis. Uenit ihesus ianuis clausis, et stetit in medio discipulorum,
et dixit: Pax uobis. Deinde dicit thome: Infer digitum tuum huc et uide manus
meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis.
Respondit thomas et dixit ei: Dominus meus et deus meus. Uidebat tangebatque ho
minem, et confitebatur deum quem non uidebat neque tangebat. Sed per hoc quod uidebat
atque tangebat, illud iam remota dubitatione credebat. Dicit ei ihesus: Quia
uidisti me, credidisti. Non ait tetigisti me, sed uidisti me, quia generalis
quodammodo sensus uisus est. Nam et per alios quatuor sensus nominari solet, uelut
cum dicimus: audi et uide quam bene sonet, olfac et uide quam bene oleat, gus
ta et uide quam bene sapiat, tange et uide quam bene caleat. Ubique sonu
it uide, cum uisus proprie non negetur ad oculos pertinere. Unde et hic ipse dominus:
infer inquit digitum tuum et uide manus meas. Quid aliud ait quam tange et
uide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo siue intuendo
siue etiam tangendo, quia uidisti me inquit credidisti. Quamuis dici possit
non ausum fuisse discipulum tangere cum se offerret ille tangendum. Non e
nim scriptum est et tetigit thomas. Sed siue aspiciendo tantum, siue etiam tan
gendo uiderit et crediderit, illud quod sequitur magis gentium fidem predi
cat atque commendat: Beati qui non uiderunt et crediderunt. Preteriti temporis usus
est uerbis, tamquam ille qui quod erat futurum in sua nouerat predestinatione
iam factum. Sed iam sermo iste a prolixitate cohibendus est. Donabit dominus ut
de his que restant alias disputemus. Sermo cxxii. de eo quod dicit multa
quidem et alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum, usque ad id: ascendit
symon petrus et traxit rete in terram plenum magnis piscibus c. quinqua
ginta tribus, et cum tanti essent non est scissum rete. V Cap. cc.vii.

POST NARRATIONEM REI GESTE IN QUA THOMAS 8
discipulus oblatis sibi tangendis in christi carne uulnerum locis uidit
quod credere nolebat et credidit, interponit hec euangelista iohannes et dicit:
Multa quidem et alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum, que non sunt scrip
ta in libro hoc. Hec autem scripta sunt ut credatis quia ihesus est christus filius dei,
et ut credentes uitam habeatis in nomine eius. Hoc capitulum uelut